PLUTARCHUS VARRONIS STUDIOSUS.

Dissertatio,

quam,

Permittente amplissimo Universitatis Fenniae
Philosophorum collegio,

Praeside

GABRIELE REIN,
Philos. Doctore, Histor. Professore P. O.,
Ordinis Imp. S:t Wladimiri in IV Classe Equite,
Societt. Lit. Fenn. Societ. Scientiar. Fennicae,
Geograph. Petrop. Liter. Eston. Reval. Doctae
Liter. Dorpat. Historico-Antiquar. Rigensis,
Sv. Antiquar. Holm. Reg. Antiquar. Bor. Havn.
nec non Instituti Historici Parisiensis vel Socio vel Correspondente.

Honores Doctoris petens,

p. p.

J. J. GUILIELMUS LAGUS,
Philos. Mag. et Licent.,
Graecarum Litterarum Docens.

In Auditorio Juridico die xv:mo mensis Junii a. MDCCCXLVII.

h. a. m. s.

Helsingforsiae,
ex officina typographica Frenckelliana.

Prooemium.

Cogitanti mihi quaenam caussae sint, cur adeo de Plutarcho docti homines discrepent, ut in contrarias fere partes eorum abeant sententiae, quippe quem alii magnifice laudent, alii vehementer reprehendant, nulla major occurrit, quam quod ratio ejus librorum et quasi aedificium a plerisque etiamnunc ignorari videtur. In Historia enim quum veritas ante omnia spectetur, maximi momenti esse debet scire illud, unde quisque rerum scriptor ea, quae posteritatis memoriae tradit, sumpserit. Neque igitur recentiori Philologiae defuerunt, qui in talia studia operam et industriam singularem conferrent. Fontes enim aperuerunt Herodoti Gattererus et Larcherius; Polybii Lucasius; Dionysii Beaufortius; Diodori Heynius; Strabonis, Plutarchi, Trogi Pompeji vel Justini Heerenius; Appiani Schweighaeuserus; Dionis Cassii Wilmansius; Cornelii Nepotis Hisely et Wichersius; Livii Meierotto et Lachmannus; Taciti Meierotto, Voelckelius, Rupertius; Suetonii Krausius, aliorum alii.

Quare longe nobis antiquissimum rati sumus viam investigationis ab omnibus librorum Plutarchi existimatoribus, praeter

1

unum Heerenium, qui in hac tamen re instar omnium esse nequit, neglectam paeneque derelictam ingredi. Quae quoniam iis quaestionibus continetur, e quibus potissimum pendet, utrum scriptor laude an vituperatione dignus sit judicandus, accurata consideratione opus est, ne quid temere vel affirmemus vel recusemus. In quam partem nonnulli peccasse videntur, qui judicia de Plutarchi fontibus cursim fecerunt, speciem magis quam specimen doctrinae testificantia. Veluti, ut hoc unum commemorem, Valerium Antiatem Krausius 1) a Plutarcho ipso nunquam lectum arbitratur, eundem W. A. Beckerus 2) — scilicet, ut ejus, qui istum fide minus dignum scriptorem potissimum sequatur, laudem facillime deminuat — in praecipuis Plutarchi auctoribus numerat.

Tantum igitur abest, ut in iis aequiescamus, quae de hujus scriptoris vel praestantia vel vitiis usquequaque litteris mandata sunt, ut ne Heerenii quidem doctissimae commentationes nobis satisfaciant. De quibus idem ac nos alii quoque sensisse videntur; renovarunt enim inquisitionem auctorum Vitarum Pyrrhi et Flaminini Baehrius 3), Catonis Uticensis Wentzelius 4).

Habet autem Heerenius, Rualdum et Bartonum aliosque veteres scriptores secutus, ut in alio jam libello si-

---

1) De ejus errato v. Diss. meam *Plut. Vit. Cic. Script.* Prooem. n. 22.

2) *Handb. d. Röm. Alterth. Th.* 1. *Lpzg* 1843 p. 52.

3) In editione sua.

4) In *Jahrb. f. Philol. u. Paedag.* Bd. X. H. 1. p. 91—100.

gnificavimus, existimationem de Plutarchi studiis Latinis eam, quam, si rem diligentius perpenderis vix comprobare possis. Verumtamen ei quasi fundamento cuidam totam suam disputationem superstruxit. In quo mirari licet, quam levi saepe momento lux veritatis obruatur. Neque enim mihi Heerenii opinio tam corrigenda, quam leviter inflectenda videtur. Qui si majore aequitate innumerabiles paene locos Plutarchi, quos e latinis fontibus fluxisse ipse, etsi invitus fere, concessit, ponderasset, certe ad aliam sententiam se inclinasset. Sed hoc quominus faceret, impedierunt tum praejudicatum, quod modo dixi, tum praecipue ea res, quod quomodo et quatenus Plutarchus suis auctoribus usus esset, quaerere neglexit, eorum sola nomina enumeravit. Atqui permoti illius sententia et auctoritate multi eundem scriptorem exagitarunt.

Quod si, quemadmodum plurimi censent, praecipua errata, quae apud Plutarchum Ῥωμαίων βίους συγγράψαντα inveniuntur, inde orta sunt, quod latine non satis bene sciens, scriptoribus, ea lingua usis, recte uti nequierit, unde factum est, ut Graecorum res idem nonnunquam falso exponat? Quamquam enim probe teneo, vitium non posse vitio, quasi clavo clavum ejici, singula tamen menda, quae nulli unquam scriptores plane evitarunt, non ad vivum resecanda puto, neque ex iis de universa ratione librorum judicare aequum esse. Spero igitur me aliquantulum luminis huic quaestioni allaturum, si nulli praejudicatae opinioni addictus, ipsum Plutarchum quodammodo pro se dicentem fecero. Hoc et nuper in dissertatione, quae a me edi coepta est, de Plutarcho vitae Ciceronis scriptore, conatus sum, nec nunc simile consilium repudiare

volui. Verum ad hujusmodi quaestiones quamquam eorum exemplo et auctoritate, quos dixi, invitatus sum, tamen, quum finem investigandi mihi duplicem proposui, unum, ut Graecum scriptorem ex sua lectione judicem, alterum, ut quaedam auctorum ejus Romanorum fragmenta, quae dicuntur, dissipata in unum locum conferam, hac in re consistit quaedam a superioribus, qui priorem tantum finem secuti sunt, commutatio et dissensio, ut mihi quidem videtur, haud inutilis. Etenim quum perspicerem, quantam quum omni tempore tum nostra inprimis memoria, viri eruditi reliquiis librorum, qui interierunt, colligendis et edendis operam dedissent, eâque studia antiquarum litterarum multum sublevata, nec tamen adhuc omnem Romanorum scriptorum notitiam, quae in Graecorum lateat thesauris, exhaustam esse intelligerem, lectiunculas meas ita moderatus sum, ut, Graecis Latina semper adjungens, quantum in me esset, huic rei scribens etiam de fontibus Plutarchi subvenire possem.

Hac tamen occasione praescriptae brevitati inserviens, Vitas parallelas non attigi, sed e libro tantum, qui *Αἰτίαι Ῥωμαϊκαὶ* inscriptus est, aliquot locos illustrandos elegi et eos ipsos, ubi Varronis, *πολογραφωτάτου* Romanorum omnium vestigia apparerent; alios in tempus aliud reservandos putavi. Quamobrem dissertationi Franckenii 5), quemadmodum ex inscriptione sola mihi nota suspicor, consentit suo genere mea, quantumvis licet ab ea fine differat.

5) *Diss. exhibens fragmenta Terent. Varronis, quae inveniuntur in libris S. Augustini de Civit. Dei. Lugd. Bat.* **1836.**

Varro Plutarcho notus.

Constat inter omnes, Quaestionibus, quas interpretantur, Romanis a Plutarcho conscriptis prae omnibus libris ad hujus populi antiquitates pertinentibus, qui etiamnunc supersunt, palmam esse deferendam. Quod utrum ipsarum merito atque excellentia, an temporis quadam invidia, qua ceteri earundem rerum scriptores, quorum legimus miram fuisse multitudinem, interciderunt, sit factum, alii dijudicent.

Nobis certe compertum est, eas, quamvis interdum primo aspectu minutae et paene nugatoriae videantur, maximum tamen pondus, si recte iis utamur, afferre, ad intelligendos mores permultos, qui caussarum obscuritate involuti jacent. Neque eam rem parvi facere debemus, quod singulis Plutarchus capitibus, quae semper ab interrogatione illa *Διὰ τί* incipiunt, singulos mores et instituta simpliciter nudeque exponit, quorum deinde originem vel ex sua vel ex aliorum sententia persequi conatur. Quare, quoniam, re ipsa integra manente, liberum lectorum judicium relinquitur nec ulla asseveratione impeditur, id quod sibi veri simillimum vel maxime probabile videtur, quisque eligendi potestatem habet. Accedit, quod ex Latinis fontibus, quibus plerumque nomina scriptorum apposita sunt, maximam partem illae quaestiones deducuntur; quocirca

ne sint Graecarum opinionum commentis, quibus scatet tota Romana Historia antiquior, inquinatae, vereri nobis non opus est.

Verum enim vero haud scio, an nulli alii scriptori liber ille, de quo agimus, et plures res et plura judicia debeat, quam Varroni ipsi; cujus quam copiosa et deligens antiquitatis pervestigatio fuerit, quantaque auctoritas et fides, nemo sane ignorat. Hoc ipsis demonstrabitur exemplis, vel si mavis, reliquiis scriptorum ejus deperditorum, in quibus accurate e Plutarcho colligendis et illustrandis nostra dissertatio versabitur.

Neque igitur vel quaestioni 1:mae: *ed. Wyttenb. p.* 70 *ed. Reisk.*: *Διὰ τί τὴν γαμουμένην ἅπτεσθαι πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι*; quamquam ibi auctoris nomen desideratur, notae tamen et vestigia, satis, ut mihi videntur manifesta, Varronianae doctrinae desunt. Eum enim de hoc Romanorum more scripsisse aperte indicat Serv. *Aen.* (*ed. L. Lucius. Basiliae* 1613. *Fol.*) IV, 167: "Varro dicit: aqua et igni mariti uxores accipiebant" 6). Tum caussae hujus instituti, quae a Plutarcho subjunguntur, eidem auctori assignandae sunt. 1: *πότερον τούτων, ὡς ἐν στοιχείοις καὶ ἀρχαῖς, τὸ μὲν ἄῤῥεν ἐστὶ, τὸ δὲ θῆλυ· καὶ τὸ μὲν ἀρχὰς κινήσεως ἐνίησι, τὸ δὲ ὑποκειμένου καὶ ὕλης δύναμιν*, fontem enim, ex quo Lactant. *Inst. Div.* (*ed. Fritsch. Lpzg* 1842) II, 9, 21 simillima hauserit: "Ignis quasi masculinum elementum est, aqua

---

6) Ex eodem haec: "Aqua et igni accipiuntur nuptae" (ita enim Ursinus legendum putat) ad Paulum p. 3 (Festum) profluxisse, ob verborum similitudinem crediderim.

quasi femininum: alterum activum, alterum patiabile. Ideoque a veteribus institutum est, ut sacramento ignis et aquae nuptiarum foedera sanciantur", fuisse quendam suum librum, ipse quodammodo testatur VARRO ap. Cic. *Acad.* I, 7: "Ex iis ortae animantium formae earumque rerum, quae gignuntur e terra. Ergo illa initia, et — elementa dicuntur: e quibus (aer et) ignis movendi vim habent, et efficiendi: reliquae partes, accipiendi et quasi patiendi, aquam dico, (et terram)" atque ipse *De Ling. Lat.* (*ed. Spengel. Berol.* 1826. 8:*o*) V, 10, 18, p. 67: "duplex causa nascendi ignis et aqua: ideo ea nuptiis in limine adhibentur —; hic et mas ignis quod ibi semen, aqua femina quod fetus ab ejus humore" — 7). 2: *ἢ διότι τὸ πῦρ καθαίρει, καὶ τὸ ὕδωρ ἁγνίζει· δεῖ δὲ καθαρὰν καὶ ἁγνὴν διαμένειν τὴν γαμηθεῖσαν*, aeque ac PAUL. *De Verb. Signif.* (*ed. Lindeman. Corp. Grammat. T. II. Lips.* 1833. 4:*to*) p. 66: "Facem in nuptiis in honorem Cereris praeferebant; aqua aspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem et aquam cum viro communicaret", eidem deberi si non ex annotatione nostra sexta, at ex alia ratione, quam mox afferemus, elucebit. 3: *ἢ ὅτι, καθάπερ τὸ πῦρ χωρὶς ὑγρότητος ἄτροφόν ἐστι καὶ ξηρὸν, τὸ δὲ ὕδωρ ἄνευ θερμότητος ἄγονον καὶ ἀργόν· οὕτω καὶ* —. repetit ex parte VARR. *l. l.*: "omne corpus, ubi nimius ardor aut humor, aut interit, aut si manet, sterile". Pulcherrima denique caussa 4: *ἢ οὐκ ἀπολειπτέον, καὶ κοινωνητέον ἁπάσης τύχης, κἂν καλοῦ μηδενὸς, ἢ πυρὸς καὶ ὕδα–*

---

7) Cf. *Macrob.* Sat. 1, 8.

τος, μέλλωσι κοινωνεῖν ἀλλήλοις, quae Plutarcho potissimum placuisse videtur, latet in iis, quae apud Paulum nuperrime legimus. — Quod si cui argumenta, quibus adhuc nostram sententiam comprobare conati sumus, exigua nec satis probabilia videntur, restat aliud, majus fortasse.

Varronem enim fusius nuptiarum Romanorum ritus, de quibus mentio a nobis facta est, tractasse, quum ex aliis aliorum scriptorum locis, tum ex sequenti quaestione Plutarchi 2:da ed. W. p. 71 ed. R.: Διὰ τί οὐ πλείονας, οὐδ' ἐλάττονας, ἀλλὰ πέντε λαμπάδας ἅπτουσιν ἐν τοῖς γάμοις, ἃς κηρίωνας ὀνομάζουσιν; πότερον, ὡς Βάῤῥων ἔλεγεν, ὅτι τῶν στρατηγῶν τρισὶ χρωμένων, σὺν τοῖς ἀγορανόμοις πλείονας, παρὰ δὲ τῶν ἀγορανόμων ἅπτουσι τὸ πῦρ οἱ γαμοῦντες — apparet; in qua quum gravissimus harum rerum auctor citetur, dubium esse non potest, quin haec cum iis, quae supra attulimus, conjuncte descripta fuerint. Quod autem ad ipsam quaestionem pertinet, duo sunt, quae me explicaturum vix pollicear. Quorum alterum quidem in sententiae obscuritate inest. Sed quomodo haec tollatur, iis videndum erit, qui criticas, quas vocant, libri hujus editiones curabunt. Certe enim verba σὺν τοῖς ἀγορανόμοις πλείονας, ut jam Wyttenbachius annotavit, corrupte leguntur. Miramur etiam, quod numerus ille quinarius, quem saepius Plutarchus urget 8), apud alios scriptores non reperitur. Quae res tamen, quoniam auctoritate magni scriptoris affirmatur, considerationis magis est

8) Ex. gr. Περὶ τοῦ Εἰ κτλ. p. 524 sq. Περὶ τῶν ἐκλελοιπ. χρηστ. p. 685 ed. R.

quam dubitationis. Altera vero loci difficultas ex eo oritur, quod Plutarchus, tacentibus ipsis Romanorum scriptoribus, faces illas, quae nubentibus praeferri solitae sunt, Cereas (κηρίωνας l. κηρινοὺς) appellat. Erat enim, quemadmodum et ipse Varro ap. NON. *De Propr. Serm. (ed. Mercer. Paris.* 1614. *Lips.* 1826. 8:*o*) p. 112 et FEST. p. 211 et PLIN. *H. N. (ed. Harduin. Voll.* 5. *Paris.* 1785. 4:*to)* XVI, 18, 30, et alii ab Harduino allati scriptores significant: "spina (alba) nuptiarum facibus auspicatissima". Quid? si in memoriam revocaris ea Pauli verba, quae Varroni fonti modo attribui, nonne mecum colliges, Plutarchum nomen Cereris, in cujus honorem faces illas adhibebant Romani, cum verbo Cereo confudisse. Alia conjectura alii uti maluerunt, teste Wyttenbachio: "*Cereos* a Plutarcho dictos, diversos esse a *facibus nuptialibus* suspicatus est doctissimus Trekellus".

Idemne fons quaestionum 3:tiae ed. W. p. 71 ed. R. et 4:ae ed. W. p. 72 et R. habendus est? Fit enim utrobique templorum Dianae mentio. Ex illo tamen loco nihil certi discere possumus, hic nobis duobus finibus, iisque maximis, inserviet. Valet enim ad evertendam illam magni scriptoris LACHMANNI, *Comment. de fontt. Liv.* I, 45., opinionem: "Sed doctissimi quoque Varronis annales ab u. c. satis ample scriptos, ut videtur, (Charisius enim e tertio libro aliquid de Servio Tullio affert) in quibus sine dubio aeram suam probavit, et librum, quo initia Urbis enarravit; Quintil. I, 7, 12 (nisi is cum annalibus idem est) non adhibuit (Livius), nec Antiquitatum libros, quibus Dionysius etiam usus est". Tum praeclare ostendit, qua Plutarchus diligentia auctoribus suis

usus sit. Comparate igitur verba Livii I, 45 et Plutarchi, vel potius Varronis, quem accurate illi secuti sunt, ascribam:

Διὰ τί τοῖς ἄλλοις Ἀρτεμισίοις ἐπιεικῶς ἐλάφων κέρατα προσπατταλεύουσι, τῷ δ' ἐν Ἀβεντίνῳ βοῶν; ἢ τοῦ παλαιοῦ συμπτώματος ἀπομνημονεύοντες; λέγεται γὰρ ἐν Σαβίνοις Ἄντρωνι Κορατίῳ βοῦς εὐπρεπὴς ὄψει καὶ μεγέθει διαφέρουσα τῶν ἄλλων γενέσθαι. μάντεως δέ τινος αὐτῷ φράσαντος, ὅτι τοῦ καθιερεύσαντος Ἀρτέμιδι τὴν βοῦν ἐκείνην ἐν Ἀβεντίνῳ, πέπραται, μεγίστην γενέσθαι, καὶ βασιλεῦσαι τῆς Ἰταλίας ἁπάσης τὴν πόλιν, ἐλθεῖν μὲν εἰς Ῥώμην τὸν ἄνθρωπον, ὡς θύσοντα τὴν βοῦν· οἰκέτου δὲ κρύφα τῷ βασιλεῖ Σερουΐῳ τὸ μάντευμα φράσαντος, ἐκείνου δὲ Κορνηλίῳ τῷ ἱερεῖ, προστάξαι τὸν Κορνήλιον τῷ Ἄντρωνι λούσασθαι πρὸ τῆς θυσίας ἀπὸ τοῦ Θύμβρεως· νενομίσθαι γὰρ οὕτω τοὺς καλλιεροῦντας. ἐκεῖνον μὲν οὖν ἀπελθόντα λούεσθαι, τὸν δὲ Σερούϊον φθάσαντα, θῦσαι

"Bos in Sabinis nata cuidam patrifamiliae dicitur, miranda magnitudine, ac specie. Fixa per multas aetates cornua in vestibulo templi Dianae, monumentum ei fuere miraculo. Habita, ut erat, res prodigii loco est: et cecinere vates, cujus civitatis eam civis Dianae immolasset, ibi fore imperium; idque carmen pervenerat ad antistitem fani Dianae. Sabinus, ut primum apta dies sacrificio visa est, bovem Romam actam deducit ad fanum Dianae, et ante aram statuit. Ibi antistes Romanus, quum eum magnitudo victimae celebrata fama movisset, memor responsi, Sabinum ita alloquitur: Quidnam tu hospes paras? inquit, inceste sacrificium Dianae facere? Quin tu ante vivo perfunderis flumine? Infima valle praefluit Tiberis. Religione tactus hospes, qui omnia, ut prodigio responderet eventus, cuperet rite facta, ex-

τῇ θεῷ τὴν βοῦν, καὶ τῷ ἱερῷ τὰ κέρατα προσπατταλεῦσαι. ταῦτα καὶ ὁ Ἰόβας ἱστόρηκε καὶ Βάῤῥων, πλὴν ὅτι τοὔνομα τοῦ Ἀντρῶνος Β ά ῤ ῤ ω ν οὐ γέγραφεν, οὐδ' ὑπὸ Κορνηλίου φησὶ τοῦ ἱερέως, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ νεωκόρου, παρακρουσθῆναι τὸν Σαβῖνον.

templo descendit ad Tiberim. Interea Romanus immolat Dianae bovem. id mire gratum regi atque civitati fuit" 9):

Distincta comparatio Jubae et Varronis, qua narratio Plutarchi concluditur, documento est, quantum huic in historia auctoritatis ipse tribuerit, quum vel minimas res, quibus ab aliis discreparet, indicandas duxerit. Quam circumspectionem utinam in omnibus adhibuisset, majore ipse auctoritate etiamnunc esset.

Tantum tamen abfuit, ut ex Varronis, etsi praestantissimi auctoris, sententia penderet, ut eam interdum vel improbaret vel penitus rejiceret. Hoc quum alibi fecit, tum in quaestione, quae sequitur 5:ta ed. W. p. 73 sq. ed. R.: *Διὰ τί τοὺς τεθνᾶναι φημισθέντας ἐπὶ ξένης ψευδῶς, κἂν ἐπανέλθωσιν, οὐ δέχονται κατὰ θύρας, ἀλλὰ τῷ κεράμῳ προσβαίνοντες εἴσω καθιᾶσιν αὐτούς; ὁ μ ὲ ν γ ὰ ρ Β ά ῤ ῤ ω ν α ἰ τ ί α ν μ υ θ ι κ ὴ ν ὅ λ ω ς ἀ π ο δ ί δ ω σ ι.* De quo Romano more, quamquam haec mentio ut jam Wyttenbachius vidit, singularis est, verba tamen Varronis, cujus librorum partes supersti-

9) Livium negligentius secutus Val. Max. VII, 3, 1. hoc trahit suspirium —: "urbem nostram tot civitatum tot gentium dominam pio sacrificii furto reddidit antistes."

tes e Plutarcho quaerere constituimus, transcribere debemus. Sunt igitur haec: φ η σ ὶ γ ὰ ρ (Β ά ῤ ῥ ω ν), ἐν τῷ περὶ Σικελίαν πολέμῳ ναυμαχίας μεγάλης γενομένης, καὶ κατὰ πολλῶν φήμης οὐκ ἀληθοῦς, ὡς ἀπολωλότων, ῥυείσης, ἐπανελθόντας αὐτοὺς ὀλίγῳ χρόνῳ πάντας τελευτῆσαι. ἑνὶ δ' εἰσιόντι τὰς θύρας ἀπαντῆσαι κλειομένας ἀπ' αὐτομάτου, καὶ μὴ χαλᾶν ἐπιχειρούντων ἀνοίγειν. τὸν δ' ἄνθρωπον αὐτοῦ καταδαρθέντα πρὸ τῶν θυρῶν ἰδεῖν κατὰ τοὺς ὕπνους ὄψιν ὑφηγουμένην αὐτῷ τὴν ὑπὲρ τὸ τέγος εἰς τὴν οἰκίαν, καθίμησιν· ποιήσαντα δὲ οὕτως, εὐτυχῆ γενέσθαι καὶ γηραιόν. ἐκ δὲ τούτου τὸ ἔθος καταστῆναι τοῖς ὕστερον. Hanc caussam Plutarchus, ut modo significavimus, commentitiam esse censet, quare in ejus locum aliam ex Graecarum et Romanarum consuetudinum convenientia ductam, substituit: ὅρα δέ, μὴ καὶ ταῦτα τρόπον τινὰ τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔοικεν. cet.

Ista explanatione improbata, libros Varronis Plutarchus diutius jacere sivit. Neque enim in iis, quae proxime sequuntur, quidquam reperimus, quod istuc referre aliqua necessitate cogamur. Cavere enim oportet, ne qualibet vel rerum vel verborum similitudine commoveamur. Nescio igitur quo casu coeco factum sit, ut Wyttenbachius, qui ceteroquin in fontium hujusce libri investigatione non versatur, annotaret ad *Αἰτ.* 10 p. 79 sq. ed. R.: "Totum hujus quaestionis argumentum, exemplum Aeneae et Diomedis, caetera, Plutarchum a Varrone sumsisse apparet ex Servio ad Virgil. Aen. II, 165. III, 406." 10), atque paulo post ad *Αἰτ.*

10) Citantur ap. Wyttenb. loci Servii III, 166 et IV, 407 — vitio, opinor, typographorum. Utroque enim res ab hac quaestione

11 p. 81 ed. R.: "Quaestio conjunctim tractata cum antecedente a Varrone; ut apparet e Servio ad Virgil. Aen. III, 406 et Macrobio, Sat. I, 8". Quod enim ad priorem doctissimi viri annotationem attinet, Servius II, 165., quamquam de Diomede Aeneaeque sacrificio et Naute scribens, Varronem profert, eo tamen auctore nisi minimam rerum, quas uberius ipse III, 406 et Plutarchus narrant, particulam, cognoscere non potuit. Et eum duobus istis locis eundem fontem non adhibuisse, facile mecum colliges, si tertium V, 703 legeris, ubi in caussa Nautiorum excitantur libri Varronis, "quos de familiis Trojanis scripsit". Quae verba, quantum ego judico, aperte indicant, ea, quae teste Servio II, 165: "Varro plenissime dixit", historiam gentis Nautiorum praecipue attigisse, consuetudinem Romanorum sacrificantium capita velandi, ejusque exceptiones, de quibus Plutarchus et Servius III, 406 loquuntur, non item. Neque omnino (ut ad ipsam quaestionem veniamus) Varrone, quamvis is in libro quodam similes res scripserit, Servius III, 406 (a verbis: "Sane sciendum cet.") usus est, quemadmodum elucet ex eo, quod continuata oratione de veneratione Herculis ea ipsa exponit, quae Macrobius *Sat.* III, 6 apud eum reperiri diserte negat: "Custoditur in eodem loco ut omnes aperto capite sacra faciant (Herculi) —. Varro ait Graecum hunc esse morem — — Gavius Bassus idcirco hoc fieri dicit, quia ara maxima ante adventum Aeneae in Italia constituta est, qui hunc ritum ve-

---

prorsus diversae adumbrantur; altero ne nomen quidem Varronis auctoris reperitur.

landi capitis invenit". Quin etiam Plutarchus si hunc morem et Graecum esse (quod idem censet Dion. Halic. p. 27 *ed. Sylb.* Liv. I, 27) et a consueto deorum cultu abhorrentem, cujusmodi ipse industrie collegit exempla *Αἰτ.* 11. 13.; haec inquam si ex Varrone cognovisset, verisimile est, ut mentionem istius moris non plane omitteret. Ab hoc praeterea discrepat ea re, quae continetur hac comparatione:

ἀποκαλύπτονται τοῖς δυνατωτέροις, οὐ τιμὴν αὐτοῖς προστιθέντες, ἀλλὰ τὸν φθόνον αὐτῶν μᾶλλον ἀφαιροῦντες, ἵνα μὴ δόξωσι τὰς αὐτὰς τοῖς θεοῖς τιμὰς ἀπαιτεῖν,	Plin. XXVII, 17: "Capita aperiri aspectu magistratuum, non venerationis causa jussere, sed, ut V a r r o a u c t o r e s t, valetudinis; quoniam firmiora consuetudine ea fierent."

Quae autem paulo infra congruenter exponuntur, qaorumque partem quandam tangit altera Wyttenbachii annotatio:

ἢ μᾶλλον εὐλαβούμενοι τινὰ φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον καὶ δύσφημον, ἄχρι τῶν ὤτων ἀνελάμβανον τὸ ἱμάτιον; *Αἰτ.* 11. *ed. W. p.* 81 *ed R.*: *Διὰ τί τῷ Κρόνῳ θύουσιν ἀπαρακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ; πότερον ὅτι τὴν ἐγκάλυψιν Αἰνείας παρέδωκεν, ἡ δὲ τοῦ Κρόνου θυσία παμπάλαιός ἐστιν;* —	Serv. III, 406. "Sane sciendum, sacrificantes Diis omnibus capita velare consuetos, ob hoc, ne se inter religionem aliquid vagi offerret obtutibus" — — "excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur; quia Saturno velato capite incenditur, (et Herculi in templo suo, —); vel quia hae arae ante adventum Aeneae consecratae sunt".

haec ex Varrone sumpta esse, qui comprobari poterit? Ex Macrobio I, 8 minime; is enim et aliter caussam explicat:

"Graeco ritu capite aperto res divina fit," 11) nec Varronem ejus rei auctorem citat.

Magis in aperto est, quid de quaestione 14 ed. W. p. 82 ed. R. statuendum sit. Nam Plutarchus exempli caussa locum Varronis transcripsit, quem ipse *De L. L.* V, 4, 9 ex parte quadam iterare videtur. Conferas igitur haec:

ἐπὶ τῶν τάφων, ὥς φησι Βάῤῥων, περιστρέφονται 12), καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα, καὶ καύσαντες τοὺς γονεῖς, ὅταν ὀστέῳ πρῶτον ἐντύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσι 13).

"Romanus *combustus* est, (si) in sepulchrum ejus abjecta gleba non est, aut si os exceptum est mortui ad familiam purgandam; donec in purgando *humo* est opertus, (ut Pontifices dicunt, quoad *inhumatus* sit) familia funesta manet et dicitur *humilior*."

Certe obscuriora Varronis verba: "os exceptum est mortui ad familiam purgandam" 14) ex Plutarchi ὅταν ὀστέῳ πρῶτον ἐντύχωσι, ut jam Wyttenbachius docet, interpretari debemus.

Quem illud quaerens, *Ait.* 27 ed. W. p. 97 ed. R.: *Διὰ τί* πᾶν τεῖχος ἀβέβηλον καὶ ἱερὸν νομίζουσι, τὰς δὲ πύλας οὐ νομίζουσιν; ἢ καθάπερ ἔγραψε Βάῤῥων τὸ μὲν τεῖχος ἱερὸν δεῖ νομίζειν, ὅπως ὑπὲρ αὐτοῦ μάχωνται προθύμως καὶ

---

11) Cf. Dion. Halic. p. 27. ed. Sylb.

12) Male vulgo legitur περιστρέφονται.

13) Cf. Cic. *Legg.* II, 22: "nisi majores eos, qui ex hac vita migrassent, in Deorum numero esse voluissent."

14) Cf. Cic. *l. l.*

ἀποθνήσκωσιν, cet. sequitur, eundem quum toto hoc loco inspexit tum iterum *Ῥωμύλ.* (*Vitt. Parall. ed Sinteni. Voll. 3. Lips.* 1839—1843. 8:o) 11., ubi de ritibus in urbe condenda servatis plenius scribit, sed hic auctoris nomen reticuit. Institutum autem Romanorum, quum vere (Cic. *N. D.* III, 40: "Muros urbis sanctos esse." Isidor. XV, 4, 2), ex fonte, quem ipse affert, narrarit, reliquum est, ut cetera etiam, quae antiquissimum morem spectant, indidem profluxisse, demonstremus: *Ὁ δὲ Ῥωμύλος — ᾤκιζε τὴν πόλιν ἐκ Τυῤῥηνίας μεταπεμψάμενος ἄνδρας ἱεροῖς τισι θεσμοῖς καὶ γράμμασιν ὑφηγουμένους ἕκαστα καὶ διδάσκοντας, ὥσπερ ἐν τελετῇ. Βόθρος γὰρ ὠρύγη περὶ τὸ νῦν Κομίτιον κυκλοτερὴς, ἀπαρχαί τε πάντων, ὅσοις νόμῳ μὲν ὡς καλοῖς ἐχρῶντο, φύσει δ' ὡς ἀναγκαίοις, ἀπετέθησαν ἐνταῦθα. Καὶ τέλος ἐξ ἧς ἀφίκτο γῆς ἕκαστος ὀλίγην κομίζων μοῖραν ἔβαλλον εἰς ταῦτα καὶ συνεμίγνυον. Καλοῦσι δὲ τὸν βόθρον τοῦτον ᾧ καὶ τὸν ὄλυμπον ὀνόματι μοῦνδον. Εἶτα ὥσπερ κύκλον κέντρῳ περιέγραψαν τὴν πόλιν. Ὁ δ' οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕνιν, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄῤῥενα καὶ θήλειαν, αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι, τῶν δ' ἑπομένων ἔργον ἐστὶν ἃς ἀνίστησι βώλους τὸ ἄροτρον καταστρέφειν εἴσω καὶ μηδεμίαν ἔξω περιορᾶν ἐκτρεπομένην. Τῇ μὲν οὖν γραμμῇ τὸ τεῖχος ἀφορίζουσι καὶ καλεῖται κατὰ συγκοπὴν πωμήριον, οἷον ὄπισθεν τείχους ἢ μετὰ τεῖχος· ὅπου δὲ πύλην ἐμβαλεῖν διανοοῦνται τὴν ὕνιν ἐξελόντες καὶ τὸ ἄροτρον ὑπερθέντες διάλειμμα ποιοῦσιν. Ὅθεν ἅπαν τὸ τεῖχος ἱερὸν πλὴν τῶν πυλῶν νομίζουσι· τὰς δὲ πύλας ἱερὰς νομίζοντας οὐκ ἦν ἄνευ δεισιδαιμονίας τὰ μὲν δέχεσθαι, τὰ δ'*

ἀποπέμπειν τῶν τε ἀναγκαίων καὶ τῶν μὴ καθαρῶν. His igitur conferenda sunt verba Varronis, *De L. L.* V, 32, 40: "Qua viam relinquebant in muro, qua in oppidum portarent, Portas. Oppida condebant in Latio Etrusco ritu multi, id est junctis bobus, tauro et vacca interiore aratro circumagebant sulcum. — quod erat post murum Postmoerium dictum. —." (Cf. Varron. *De R. R.* II, 1, 10 et, qui eum sequitur Columell. *De R. R.* VI, prooem. 7. *ed. Gesner. Scriptt. Rei Rust. Voll.* 2. *Lips.* 1735. 4:*to*), in quibus, quasi in seminibus quibusdam latentem, agnoscimus uberiorem earundem rerum expositionem ex alio Varronis libro a Plutarcho haustam. Hic igitur quamvis, ut infra viderimus, invitus saepe in enodandis nominibus etymologias Varronis sequatur, ejus tamen explicationem Pomoerii et Portae jure probavit. Porro *βόθρος*, quem interpretatur, fossa est diis Manibus consecrata, de qua, teste Macrob. *Sat.* I, 16: "Varro ita scribit: Mundus cum patet — cet." V. etiam Ovid. *Fast.* IV, 821 sq. (cf. Serv. III, 133), qui, ut docuisse dicitur Merkelius, in his libris Varrone inprimis usus est auctore 15). In eo denique

15) Quid sit mundus patens breviter adumbravit Schuch, *Privat-Alterth. d. Röm.* Karlsruhe 1842. p. 360: "Euphemistischer Namen (sc. Tartari) *Mundus seq. Ditis, Orci.* Oeffnung derselben auf dem Comitium immer mit einem Steine, *lapis manalis*, bedeckt, am 24 Aug., 5 Octob. und 8 Nov. aufgedeckt, welche Tage den Unterirdischen geweiht, traurig und ungünstig zu jedem Geschäfte, *mundus patet*; die Höllenthore gleichsam geöffnet und die Bewohner befugt nach Belieben zu schalten." Haec Fest. p. 172 et Paul. p. 103 s. v. *Mundus*, ex li-

ambo consentiunt, quod Etrusco ritu Romam conditam tradunt. Cf. etiam Liv. I, 44.

Quaestionem 28:mam ed. W. p. 97 ed. R.: *Διὰ τί τοὺς παῖδας, ὅταν ὀμνύωσι τὸν Ἡρακλέα, κωλύουσιν ὑπὸ στέγῃ τοῦτο ποιεῖν, καὶ κελεύουσιν εἰς ὕπαιθρον προϊέναι;* etiamnunc a Varrone tractatam legimus, *De L. L.* V, 10, 20: "negant sub tecto per hunc (Dium Fidium l. Herculem) dejerare oportere." et in libro, quem *Catum l. de liberis educandis* inscripsit, ap. Non. p. 494 s. v. *Rituis:* "qui per deum fidium jurare vult prodire solet in compluvium." Neque tamen ex hoc solo auctore istius religionis caussas Plutarcho notas fuisse affirmare audeo; complures enim indicant illa: *ὡς ἔνιοι λέγουσιν.*

Quae sequuntur problemata 29 ed. W. p. 98 ed R.: *Διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν οὐδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες;* 30 ed. W. p. 99 ed. R.: *Διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες, λέγειν κελεύουσιν· Ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα;* 31 ed. W. p. 101 ed. R.: *Διὰ τί ὁ πολυθρύλλητος ᾄδεται Ταλάσιος ἐν τοῖς γάμοις;*, argumenti quodam vinculo inter se juncta sunt. Spectant ritus

bro Capitonis (lectone etiam a Plutarcho? *Αἰτ.* 50 p. 118 ed. R. nota Xylandri), Pontificali, quem etiam Gell. XIII, 14 inspexisse puto de significatione nominis Pomoerii. Scripserat quidem eadem ac Varro, de his rebus, Cato, sed brevius; Isid. XV, 2, 3. Pompon. Sabin. *ad Virgil. Aen. (ed. Lucio)* V, 754. Fest. p. 215 s. v. *Prosimurium;* quapropter Serv. V, 754. huic praeter prima verba, cetera, quibuscum bene consentit Plut., debere non videtur.

Romanorum nuptiales. Quos Varro diligentissime percucurrit, quemadmodum et dicit Non. p. 531 s. v. *Nubentes*, et ex iis colligi potest, quae supra, p. 6 sqq., disputavimus. Atque hoc Plutarchus in aliquot saltem illorum morum caussis exponendis usus videtur. Ac primus quidem eorum una cum tertio enarratur in *Ῥωμύλ.* 15, cujus fontes mox significandi. Quatenus vero loco, quem secundum citavimus, dicitur: *ἡ διὰ Γαΐαν Κεκιλίαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν γυναῖκα τῶν Ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικήσασαν, ἧς ἐν τῷ τοῦ Σάγκτου ἱερῷ χαλκοῦς ἀνδριὰς ἕστηκεν; ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλια καὶ ἄτρακτοι, τὸ μὲν, οἰκουρίας αὐτῆς, τὸ δὲ, ἐνεργείας σύμβολον.* 16), consentiunt, qui Varronem quavis pagina affert PSEUDO-VAL. MAX. *De Praenom.* fin: "Caeterum Caja usu super omnia celebrata est. Fertur enim, Cajam Caeciliam, Tarquinii Prisci regis uxorem (?), optimam lanificam fuisse; et ideo institutum esse, ut novae nuptae ante januam mariti interrogatae, quaenam vocarentur, Cajam esse se dicerent", et Plin. VIII, 48, 74: "Lanam in colo et fuso Tanaquilis, quae eadem Caja Caecilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, auctor est M. Varro. — Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus compta, et fusus cum stamine." V. etiam Paul. p. 71 s. v. *Gaja Caecilia.* Porro, ut ad tertium problema veniamus, in voce illa Talassio (quacum ipse scite confert Graecorum *Ὑμὴν ὦ Ὑμέναιε*), qua nupta, viri domum ingrediens, salu-

---

16) Priorem caussam eandem Plut. affert ac Cic. *pMur.* 12: "quia in alicujus libris exempli caussa id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Cajas vocari."

tabatur, enodanda, omnes fere auctores, ut ipsi quisque enotuit, contulit, ut e multis locis cognoscitur. Nec in iis acquiescens, quae scripta legerat, sermone quoque audita (ab Sestio Sulla Carthaginensi) narravit. Sententia igitur, quam in libro, de quo agimus, primum, deinde verò alibi etiam, profert: πότερον ἀπὸ τῆς τ α λ α σ ί α ς; καὶ γὰρ τὸν τάλαρον τ α λ α σ- σ ί ο ν α 17) ὀνομάζουσι· καὶ τὴν νύμφην εἰσάγοντες, νάκος ὑποστρωννύουσιν· αὐτὴ δ' εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην καὶ τὴν ἄτρακτον, ἐρίῳ δὲ τὴν θύραν περιστέφει τοῦ ἀνδρός., ex fonte, puto, eodem 18), quem excitant Fest. p. 268: "Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanifici τ ά λ α ρ ο ν, id est quasillum, ita enim solitum appellari Talassionem." (cf. Paul. p. 152), et in auctoribus librorum suorum Plinius, VIII, 48, 74 (verba videas paulo ante a me transcripta). XXIX, 2, 9: "Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes a nubentibus attingi, jubentes." 19): minus ei placuit

---

17) Hoc vocabulum pro corrupto τάλαντον substituendum est.

18) Scribit quidem: Οἱ δὲ π λ ε ῖ σ τ ο ι ν ο μ ί ζ ο υ σ ι ν, ὧν καὶ ὁ Ἰόβας ἐστὶ, παράκλησιν εἶναι καὶ παρακέλευσιν εἰς φιλεργίαν καὶ ταλασίαν, οὔπω τότε cet. in Ῥωμύλ. 15; sed in iis, quos universe profert, Varronem fuisse, vel inde probabile est, quod antea etiam cum hoc auctore Jubam contulit. V. p. 11. In sequenti cap. 16. Ῥωμύλ. se Varrone usum fuisse, ait ipse.

19) Alii pro *attingi* legunt *ea cingi*. — In ipsum morem cadunt versus Lucani III, 355 sq.:

> Festa coronato non pendent limine serta,
> Infulaque in geminos discurrit candida postes.

quos interpretes afferunt.

propter explicationem ipsius nominis, *οὔπω τότε τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασι τῶν Ἰταλικῶν ἐπικεχυμένων*, quemadmodum ipse dicit in *Ῥωμύλ.* 15. Potiorem duxit aliam narrationem, atque eam Historicorum, qui proprie vocantur, *Αἰτ.* 31: *ἢ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἱ σ τ ο ρ ι κ ῶ ν* 20), *ἀληθὲς, ὅτι νεανίας ἦν τις* cet., et *Πομπ.* 4: *οὗτος ὁ λόγος πιθανώτατός ἐστι τῶν περὶ τοῦ Ταλασίου λεγομένων*; ea vero huc non pertinet, neque ex Varrone sumpta videtur.

Hic jam reliqua ad nuptias Romanorum spectantia, quae Varroni Plutarchus, nostra sententia, debet, indicanda sunt, licet ita quaestionum ordinem interrumpi necesse sit. Inspiciamus igitur *Αἰτ.* 87. ed. W. p. 148 sq. ed. R.: *Διά τί τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου τὴν κόμην διακρίνουσιν*; ad quam lectores suos delegat *Ῥωμύλ.* 15., in cujus capitis auctoribus, sicut nuper suspicati sumus, Varro etiam numerandus est. Neque alium Ovid. *Fast.* II, 560: "Comat virgineas hasta recurva comas." et Paul. p. 48.: "Coelibari hasta caput nubentis comebatur," secuti videntur. Tum rationem etymologicam: *ἢ τὰ μὲν πλεῖστα τῶν γαμικῶν εἰς τὴν Ἥραν ἀνῆπτον, Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισται, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα, καὶ Κ υ ρ ῖ τ ι ς ἡ θεὸς ἐπωνόμασται. τὸ γὰρ δόρυ κ ο ῦ ρ ι ν ἐκάλουν οἱ παλαιοί*, quam et Paul.

20) Cf. Fest. p. 268: "At quidam historiarum scriptor, Talassium sit nomine virum, rapta virgine unicae pulchritudinis, quod ei id conjugium fuerit felix, boni ominis gratia nunc redintegrari." Plut. *Αἰτ.* 31: *ὅθεν, εὐτυχοῦς γάμου γενομένου, καὶ τοῖς ἄλλοις εἰθίσθησαν ἐπιφωνεῖν τὸν Ταλάσιον*, quae caussa iterum legitur in *Πομπ.* 4. et *Ῥωμύλ.* 15. Liv. I, 9. Serv. I, 651.

l. l., idem quaerens, "vel quia matronae Junonis Curitis in tutela sint, quae ita appellebatur a ferenda hasta, quae lingua Sabinorum *Curis* dicitur.", et alii permulti comprobarunt 21), certe Varro quoque, qui plurima Romanorum et verba et instituta ex Sabinis orta putavit, amplexus est. Accedit, quod eum Macrobius I, 9. auctorem rei cujusdam paulo ante nominat, quam explicationem illam verbi Curis affert. — Si comparatur *Αἰτ.* 105. ed. W. p. 161. sq. et R.:

Διὰ τίνα αἰτίαν ἐν ταῖς δημοσίαις ἑορταῖς ἔθος οὐκ ἔστι γαμεῖσθαι παρθένους, αἱ δὲ χῆραι γαμοῦνται; πότερον ὡς ὁ Βάῤῥων εἴρηκεν ὅτι λυπούμεναι μὲν αἱ παρθένοι γαμοῦνται, χαίρουσαι δὲ αἱ γυναῖκες· ἑορτῇ δὲ μηθὲν λυπουμένους ποιεῖν, μηδὲ πρὸς ἀνάγκην;

cum Macrob. *Saturnal.* I, 15: "Verrium Flaccum juris pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset: ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum."

facile intelligitur, has narrationes inter se discrepare, etsi utroque loco citetur Varro. Nec tamen hoc aenigma est. Etenim Macrob. ex libro eodem sententiam insulsam Verrii excerpsit, venustiorem ipsius Varronis Plutarchus. Haec hactenus.

Jam ad *Αἰτ.* 32 ed. W. p. 102 sq. ed. R. revertatur oratio. Neque vero facile certo dicetur, quem ibi Plut. sequatur. Explicavit quidem morem illum simulacra hominum in Tiberim dejiciendi et caussam verbi Argei Varro in libris, quos composuit *De Vita pop. Rom.*, teste Non. p. 523, et *De L. L.* VII, 3, 90; verum

---

21) Ovid. *Fast.* II, 477. Macrob. I, 9. Serv. I, 292. Paul. p. 37. cett.

de eo auctore nec hi loci nec Dionys. p. **30**, qui plurima eadem ac Plut. tradit, nec scriptores Romani, Cic. *p.Sex. Rosc.* **35**, Ovid. *Fast.* V, **621**. Fest. p. **259**. Macrob. I, 5. 7. (p. **240** *ed. Zeun.*) clare commonent.

Non item in *Αἰτ.* **54** ed. W. p. **122** ed. R. haerendum. Nam alterius sententiae auctorem citat DONATUS, *Terent. Eun.* (*ed. Schrevel. Lugd. Bat.* **1651**) II, 2, 25. Quare conferas:

Διὰ τί τὰ κρεωπώλια μάκελλα καὶ μακέλλας καλοῦσι; πότερον cet. **22**); *ἢ καὶ τοῦτο λυτέον τῇ ἱστορίᾳ* **23**); *λέγεται γὰρ ἐν Ῥώμῃ βίαιον ἄνδρα καὶ λῃστρικὸν γενόμενον, καὶ περικόψαντα πολλοὺς, μόγις ἁλῶναι, καὶ κολασθῆναι, τοὔνομα Μάκελλον. ἐκ δὲ τῶν χρημάτων αὐτοῦ δημόσιον οἰκοδομηθῆναι κρεωπώλιον ἀπ' ἐκείνου κτησάμενον τὴν προσηγορίαν.*

"Varro humanarum libro: — 'Cupes' inquit 'et — Macellus, singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis publicata sunt bona, et aedes ubi habitabant dirutae; exque ea pecunia scalae Deum Penatium aedificatae sunt; ubi habitabant, locus ubi venirent ea, quae vescendi caussa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum — apellatum est."

Idem brevius dicit Varro *De L. L.* V, **32**, **41**. et eum secutus Paul. p. **94**.

---

22) Ad hunc locum annotat Wyttenb.: "Sp. Carvilius — haud scio, an a nemine veterum praeter Plut. — memoretur." Addere possumus Dionys. p. **96**.

23) Jam antea vidimus Plut., posthabita Etymologia, Historiae testimonio usum, p. **21**. n. **20**.

Neque de auctore *Αἰτ.* 57. ed. W. p. 125. ed. R., quam repetit *Περὶ τ. Ῥωμ. τυχ.* p. 270 sq. ed. R. et in *Ῥωμύλ.* 4. 24), dubitare possumus. Multa enim sunt indicia. Illud igitur: *Διὰ τί τῇ Ῥουμίνᾳ θύουσαι, γάλα κατασπένδουσι τῶν ἱερῶν, οἶνον δ' οὐ προσφέρουσιν; ἢ ῥοῦμαν Λατῖνοι τὴν θηλὴν καλοῦσι, καὶ Ῥουμάναλιν (συκῆν) ὀνομασθῆναι λέγουσιν; παρόσον ἡ λύκαινα τῷ Ῥωμύλῳ τὴν θηλὴν παρέσχεν;* testatur Varro *De R. R.* II, 11, 5: "Non negarim — apud divae Rumiae sacellum a pastoribus satam ficum, ibi enim solent sacrificari lacte pro vino, — mammae enim rumi, sive rumae, ut ante dicebant, a rumi", — et in alio libro ap. Fest. p. 225: "Ruminalem ficum appellatum ait Varro — quod sub ea arbore lupa rumam dederit Remo et Romulo, id est mammam" —, et Paul. p. 135. Haec ex quo fonte ducta sunt, eidem illa quoque: *Ῥουμίνα θηλωτὶς οὖσα — οὐ προσίεται τὸν ἄκρατον, ὡς βλαβερὸν ὄντα τοῖς νηπίοις,* deberi, quodammodo significat inscriptio voluminis, quod citat Non. p. 167: "Rumam veteres mammam dixerunt. Varro *Cato l. de liberis educandis,* cet." Solebat enim ille scriptor diversis saepe locis easdem res tractare.

Restat quaestio Plutarchi 84. ed. W. p. 145 sq. ed. R.: *Διὰ τί τὴν τῆς ἡμέρας ἀρχὴν ἐκ μέσης νυκτὸς λαμβάνουσι;* cujus argumentum e Varrone, etsi nomen abest, sumptum ar-

---

24) Hic complures inspexit. Varronem quoque cogitare debemus. Nam eadem narrat *De L. L.* V, 8, 17. ac Plut. *Ῥωμύλ.* 3 fin. 4 init, qui ejus rationem verisimillimam dicit (*ἢ μάλιστα* cet.). Cf. etiam Liv. 1, 4. Plin. XV, 18, 20. Flor. I, 1, 3. Serv. VIII, 90.

bitror. Nam hoc institutum ille, ut legimus apud Gell. III, 2. et Macrob. I, 3, qui Gellium ad verbum sequitur, "in *libro rerum Humanarum*, quem de diebus scripsit," adumbravit. De iisdem rebus Plin. II, 77, 79., qui in indice auctorum hujus libri Varronem citat.

Ad illud investigandum, *Αἰτ*. 90. ed. W. 150. ed. R.: *Διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ γινομένης θυσίας, ἄλλον οὐδένα θεῶν ὀνομάζουσιν, οὐδὲ φαίνεται κύων ἐντὸς τῶν περιβόλων, ὡς Βάῤῥων ἱστόρηκεν.*, quamquam ansam Plutarcho dedit Varro, quem Plinius etiam contulit in libro suo X:mo (29, 41.), ubi similia scribit: "Romae in aedem Herculis — nec canes intrant.", ipsae tamen rei caussae, quae exponuntur, aliunde quaesitae videntur.

Venimus nunc ad locum maxime memorabilem, ubi Plutarchus ab inveterata quadam opinione, quae tamen et Romanorum, in iisque praecipue Varronis, et Graecorum scriptorum auctoritate comprobata, paene in legem abierat, suo ipsius judicio usus recessit. Hanc enim rem, *Αἰτ*. 101. ed. W. p. 157. sq. ed. R.: *Διὰ τί κοσμοῦσι τοὺς παῖδας τοῖς περιδεραίοις, ἃ βούλλας καλοῦσι* 25);, in quaestionem vocans, quattuor primum caussas examinat 26), deinde quintam his verbis rejicit: *ὃ μὲν γὰρ οἱ περὶ Βάῤῥωνα λέγουσιν, οὐ πιθανόν ἐστι, τῆς βούλλης ὑπὸ Αἰολέων βόλλας προσαγορευομένης, τοῦτο σύμβολον εὐβουλίας περιτίθεσθαι τοὺς παῖδας.*, ad quae apposite scribit Paul. p. 29: "Bulla au-

25) Cf. Ascon. in *Verr.* p. 199. *ed. Orelli.*

26) Quam primam fecit, commemoratur etiam *Ῥωμύλ.* 20. et uberius a Macrob. I, 6. (p. 229. ed. *ed. Zeun.*); secunda a Plin. XXXIII, 1, 4.

rea insigne erat puerorum praetextatorum, quae dependebat iis a pectore, ut significaretur eam aetatem alterius regendam consilio. Dicta est autem bulla a Graeco sermone *βούλη*, quod consilium dicitur Latine, vel quia eam partem corporis bulla contingat, id est pectus, in quo naturale manet consilium," similia Macrob. I, 6. (p. 230. *ed. Zeun.*). Se autem sermonem Latinum Aeolicae loquendi rationi cognatum habuisse, ipse indicat Varro *De R. R.* III, 1, 6: "lingua prisca et in Graecia Aeoleis Baeotii sine afflatu vocant collis Tebas, et in Sabinis, quo e Graecia venerunt Pelasgi, etiam nunc ita dicunt." et pluribus locis, *De L. L.* Cujusmodi exempla sunto explicationes verborum Putei V, 11, 41., Mali V, 21, 26., ceterorum. Verum tamen, si, quemadmodum Spengelius aliique interpretes dicunt, locum illum V, 24, 33.: "Lorica — —. Balteum quod cingulum e corio habebant bullatum, balteum dictum.", spectat, Laurent. Lydus (*ed. Imm. Bekker. Bonn.* 1837 *in Corp. Scriptt. Hist. Byzant.*) *Περὶ ἀρχῶν* II, 13.: *Φίβουλων — — — ὀνομάζει. ὅτι δὲ οὐ Ῥωμαϊκὸν τουτὶ τὸ ῥημάτων, μάρτυς ὁ Ῥωμαῖος Βάῤῥων ἐν βιβλίῳ πέμπτῳ περὶ ῥωμαϊκῆς διαλέκτου, ἐν ᾧ διαρθροῦται ποία μέν τις λέξις ἐστὶν Αἰολικὴ ποία δὲ Γαλλική, καὶ ὅτι ἑτέρα μὲν ἡ Θούσκων ἄλλη δὲ Ἐτρούσκων, ὧν συγχυθεισῶν ἡ νῦν κρατοῦσα τῶν Ῥωμαίων ἀπετελέσθη φωνή.*, certe apud Varronem multa vel corrupta sunt vel prorsus exciderunt. Illius sententiae auctor praeter Varronem Cato citatur ab eodem Lydo, I, 15.: *οὐδὲ γὰρ ἀγνοήσας* 27) *ὁ Ῥωμύλος—δείκνυται κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τὴν*

27) Dicit. Dionys. p. 116: *ἔστησεν* (Romulus) *εἰκόνα, ἐπιγράψας ἑλληνικοῖς γράμμασι.*

Ἑλλάδα φωνήν, τὴν Αἰολίδα λέγω, ὥς φασιν ὅ τε Κάτων ἐν τῷ περὶ Ῥωκαϊκῆς ἀρχαιότητος 28), Βάῤῥων τε ὁ πολυμαθέστατος 29), ex quo loco simul intelligitur, veteres in caussa, de qua agitur, etiamsi Graecam linguam generatim commemorent, Aeolicam proprie cogitare 30). Itaque hanc sectam secuti sunt plurimi Romanorum Grammatici, Tyrannio (SUID. s. v.), Cloatius Verus et Hypsicrates (Gell. XVI, 12.), Quintilianus (1, 5, 56. 6, 31.), Priscianus alii prolati a Lerschio 31) et Bernhardyo 32); Graeci vero, qui saepissime de Latino sermone scripserunt, paene ad unum omnes; e quibus Dionys. (p. 76. et alibi), Juba, qui Plutarcho videtur γλιχόμενος ἐξελληνίσαι verba Latina (*Νουμ*. 13. *Ῥωμύλ*. 15. *Αἰτ*. *Ῥωμ*. 31. ed. W. p. 101. ed. R. *Νουμ*. 7. *Αἰτ*. *Ῥωμ*. 24), Athenaeus (*Δειπνοσοφ*. X, 24. p. 27. *ed. Stereot.*). Quae cum ita sint, non possumus satis mirari liberum Plutarchi, Graeci hominis, judicium, hanc rationem saepenumero, etsi timide fere, reprehendentis (*Ῥωμύλ*. 15. *Νουμ*. 7. 13.

---

28) Hoc in fragmentis Catonis a Krausio aliisque collectis non reperitur. Nec Lyd. I, 2. 47.

29) Iis quae sequuntur: *Εὐάνδρου καὶ τῶν ἄλλων Ἀρκάδων εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντων ποτὲ καὶ τὴν Αἰολίδα τοῖς βαρβάροις ἐνσπειράντων φωνήν.* comparat Spengelius *De L. L.* V, 4, 8: "Evander enim qui venit in Palatium e Graecia, Arcas fuit." (p. 8.)

30) Cf. Quintil. I, 5, 56. et I, 6, 31. Lyd. I, 11.

31) In egregio libro *Die Sprachphilosophie der Alten. Thh. 3. Bonn.* 1834 — 1841.

32) *Grundr. d. Röm. Litt. Halle* 1830, p. 61 — 63. nn. 97 — 102.

Μαρκέλλ. 8. 22. *Συμποσ.* VIII, 6. p. 895, 898. sqq. ed. R.); quod utrum recte an secus fecerit, alias disquiremus 33). Hic satis erit monuisse, eam caussam fuisse, cur in illo vocabulo enodando a gravissimi Grammatici Varronis, atque adeo plurimorum scriptorum, auctoritate plane decederet. Ipse aliam verbi originem, haud scio an a nemine antea propositam, suadet, *Ῥωμύλ.* 20. Etenim putat insigne illud puerorum ingenuorum dictum esse *ἀπὸ τοῦ σχήματος*, id est a forma sua; significat enim bulla Latino sermone globosum quoddam.

Inveniuntur tamen alii etiam loci, ubi Plut. Varronianas etymologias minus probabiles censurit. Ex his unum afferam, in quo suo Marte interpretis munere fungitur. Haec igitur, *Ῥωμύλ.* 16.: *ὀπίμια* 34) *δὲ τὰ σκῦλα, φησὶ*

---

33) Erat inprimis verborum efferendi ratio Aeolica, quam etiamnunc in multis amplectuntur Graeci, similis Romanae, ut apparet e Dionys. p. 76: *τὸ μὴ πᾶσι τοῖς φθόγγοις ὀρθοεπεῖν*, et Athenaeo, X, 24: *τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι, ὡς καὶ κατὰ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς*, aliis; id quod etiam affirmat Thryllitschius, *pronuntiationem Latinam ex Aeolica repetendam esse explicandamque.* Viterb. 1709.; quamvis aliter visum sit Glareano posteaque Villoisonio, qui Doriensium dialecto Romanos plurima debere censent. Habuerunt vero Aetoles jam antiquitus colonias in Italia, e quibus nominat Cumas Scymnus Chius in poemate suo *Περιήγησις.* (*ed. Meinek. Berol.* 1846.) v. 239. Nec hujus primigeniae cognationis et commercii ignarum Plut. crediderim, licet is sonorum similitudini, historicas res quaerens, non multum tribuendum duxerit.

34) Vel Plut. vel librarii falso scripserunt Opimia pro Opima, veluti antea, *Ἀἰτ.* 54. (v. nostram p. 23.), Macellas pro Macella.

Βάῤῥων, καθότι καὶ τὴν περιουσίαν ὄπεμ λέγουσι. Πιθανώτερον δ' ἂν τις εἴποι διὰ τὴν πρᾶξιν· ὄπους γὰρ ὀνομάζεται τὸ ἔργον., indicio sunt, quam caute in hac arte auctore illo 35) usus sit, quum ne latinis quidem quasi radicibus defixarum vocum iterata explicatione supersederit.

Eidem Romanas res et antiquitatem investiganti maximam fidem merito adjunxit 36). Singulare ejus studium in temporibus exquirendis perspicuum his verbis laudat: *Ῥωμύλ.* 12. *Ἐν δὲ τοῖς κατὰ Βάῤῥωνα τὸν φιλόσοφον χρόνοις, ἄνδρα Ῥωμαίων ἐν ἱστορίᾳ βιβλιακώτατον, ἦν Ταρούτιος ἑταῖρος αὐτοῦ —. Τούτῳ προὔβαλεν ὁ Βάῤῥων ἀναγαγεῖν τὴν Ῥωμύλου γένεσιν εἰς ἡμέραν καὶ ὥραν* cet., quam tamen ipse morositatem minime puta-

---

35) Subtiliter disseruit Hartung, *Die Relig. d. Röm. Voll.* 2. *Erlang.* 1836. Th. 1. p. 276: "Es ist nicht Varro's Schuld, wenn so vieles, was er als Vermuthung hingestellt hatte, von seinen Nachschreibern für Gewissheit ausgegeben worden ist. Varro rechnete dahin ohne Zweifel vor allem seine Namens-Etymologien, in denen er natürlich nicht glücklicher war, als die übrigen alten Autoren."

36) Audiamus iterum Hartung. judicium *l. l.* p. 275: "Die Wirkungen dieser Forschungen auf Mit- und Nachwelt waren, wie wir aus den deutlichsten Spuren allenthalben erkennen, von ausserordentlicher Bedeutung. Denn alle, die uns irgend etwas von den röm. Religions-Alterthümern berichten, berufen sich auf Varro, so dass man annehmen kann, dass sie denselben meistens auch da, wo sie ihn nicht nennen, excerpirt haben. Er ist also recht eigentlich das Fernrohr, durch welches wir in den Religionszustand der Römer hineinblicken."

vit 37): Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως καὶ τὰ τοιαῦτα τῷ ξένῳ καὶ περιττῷ προσάξεται μᾶλλον ἢ διὰ τὸ μυθῶδες ἐνοχλήσει τοὺς ἐντυγχάνοντας αὐτοῖς.

Quamquam vero Plut. Varronis doctrinam bene cognovit, nonnunquam tamen ab ejus libris abstinuisse videtur. Originem enim nominis Circi Flaminii, *Αἰτ.* **66**. ed. W. p. **130**. ed. R., aliter, quemadmodum declarat *De L. L.* V, **32**, **43**., explicavit. Magis etiam mirandum est, quod nec in quaestione illa difficili, **78**. ed. W. p. **139**. ed. R., cur sinistra a Romanis meliora, quam dextra habita sint, illum diligentissimum talium rerum investigatorem inspexit. In aliam enim sententiam Varronem disputasse, docet *Fest.* p. **260**. s. v. *Sinistrae.*, qui ejus *Epistolicas Quaestiones* citat. Plutarchus Jubam sequitur, idem ac Liv. I, 18. et Dionys. p. 80. narrantem. Atque De Flamine Diali multa habent *Αἰττ.* **109**—**113**, quae Fabio Pictori, quo saepe Plut. usus est auctore (*Ῥωμύλ.* **3**. **8**. **14**.) vel alii cuipiam potius quam Varroni, tribus verbis unam ex illis quaestionibus (111:mam) attingenti, *De R. R.* II, 3, 5., assignanda crediderim propter Gell. X, 15.

---

37) Diligentiam, qua Varro tempora dinumeravit commendat etiam Censorin., *De Die. Natali* (*ed. Goetz. Altorph.* 1742.) 21, 5.: "quodcunque caliginis Varro discussit: et pro cetera sua sagacitate, nunc diversarum civitatium conferens tempora, nunc defectus, eorumque intervalla retro dinumerans, eruit verum, lucemque ostendit, per quam numerus certus, non annorum modo, sed et dierum perspici possit."

His jam expositis, operae pretium esset investigare, quaenam praecipue Varronis scripta Plut. evolverit, ni manum de tabula tollere cogerer. Est enim longum quaerere de copiosissimi auctoris libris, "qui," ut ait Augustinus 38), "tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur; tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus." Accedit, quod hujus laboris sive molestiam sive delectationem anticipavit Franc. Oehler, scriptor juvenis 39), quo ego

38) *De Civit. Dei (ed. Parisina altera.* T. VII, 1838.) VI, 2.

39) Edidit librum *M. Terent. Varronis Saturarum Menippearum Reliquiae. Quedlingb. et Lips.* 1844., in cujus praefatione dicit: "Varronianorum fragmentorum primam offero particulam. —: non deerit profecto, quominus alterum brevi volumen sequatur reliquorum operum Varronianorum fragmenta continens." Promisit igitur, nec adhuc tamen, quantum ego scio, perfecit illud gratum opus Philologis. Diu enim hoc studium jacuit, in quo nec antiquiores multum praestiterunt. Videtur tamen Bernhardy l. l. p. 326., nihil aliud hac in re desiderare, quam ordinem et judicium. Atque nominat Baehrius (*Gesch. d. Röm. Litt. Carlsruhe* 1844—1845.) Th. I, p. 347, n. 3. Th. II, p. 34, n. 4. p. 12, n. 6., qui scriptorum Varronis reliquias collegerint, Riccobonum, Popmam, Wassium, Cortium, Havercampium, Frotscherum. Popmae quidem librum comparare non potui; quod si in eo, ut Baehrius significat (II, 12, 6.), ea tantum fragmenta historica Varronis reperiuntur, quae transcripserunt editores illi Sallustii, ridiculum paene est, ea laudare; sunt enim duo minima ex Charis. et Clem. Alexandr.; V. Wass. p. 271. Haverc. *Vol.* II, p. 379. Frotsch. *Vol.* I, p. 488. In libro autem Riccoboni (*De Historia. Bas.* 1579.), pp. 216—400, nulla Graeca, nec Dionysii nec Plutarchi nec Lydi nec

me nec aetate superiorem, et eruditione doctrinaeque subsidiis inferiorem habeo. Quare significo tantum, quaestiones a Plut. explicatas, in iis potissimum operibus perscriptas fuisse, quae spectant Augustinus 40): "Quadraginta et unum libros scripsit Antiquitatum: hos in res Humanas Divinasque divisit, rebus humanis viginti quinque, divinis sedecim tribuit," et Varronem alloquens M. Tullius 41): "Tu omnium Divinarum Humanarumque rerum *nomina*, genera, officia, *causas* aperuisti?"

---

aliorum inveniuntur; quare de eo minus accurate dixit Oehler, *l. l.* p. 14: "etiam Varronis non solum Saturarum, sed ceterorum quoque operum fragmenta undique collecta exhibuit."

40) *L. l.* VI, 3., ubi singulorum librorum argumenta exponuntur.

41) *Acad.* I, 3.

Corrigenda:

P. 4, lin. 21: πολυγρ. 6, 5: diligens. 11, 24: sequens. 15, 10: purgandam. 15, 22: ἱερὸν. προθύμως. 22, 2: appellabatur.